

dem modo. Tenuissima serpentibus & trisulca, vibrans, atri coloris, & si extrahas praelonga: lacertis bifida & pilosa: vitulis quoque marinis duplex: sed superadictis capillamenti tenuitate. Ceteris ad circumlambenda ora. Piscibus paulominus quae tota adherens, crocodilis tota. Sed in gustatu, linguae uice carnosum aquatilibus palatum. Leonibus ac pardis, omnibusque generis eius, etiam felibus, imbricata asperitatis, ac lima similis, attenuansque lambendo cutem hominis, quae causa etiam mansuetacta, ubi ad uicinum sanguinem peruenit saliuas, inuitat ad rabiem. De purpurarum linguis diximus. Ramis prima cohaeret, intima absoluta a gutture qua uocem mittunt. Mares tum uocantur ololygones. Statio id tempore euenit, cientibus ad coitum feminas. Tum siquidem inferiore labro demisso, ad libramentum modicæ aquae receptae in fauces, palpitante ibi lingua ululatus elicitur. Tunc extenti buccarum sinus perlucet, oculi flagrant labore perpulsi. Quibus in posteriori parte aculei, ijs & dentes & lingua. Apibus etiam praelonga, eminens & cicadis. Quibus aculeus in ore fistulosus, ijs nec lingua nec dentes. Quibusdam insectis intus lingua, ut formicis. Ceterum lata elephanto praecipue. Reliquis in suo genere semper absoluta: homini tantum ita saepe constricta uenis, ut intercidi eas necesse sit. Metellum pontificem adeo inexplicata fuisse accepimus, ut multis mensibus tortus credatur, dum meditatur in dedicanda aede opifera dicere. Ceteris septimo ferme anno sermonem exprimit. Multis uero talis eius ars contingit, ut auium & animalium uocis indiscrete edatur imitatio. Intellectus saporum est ceteris in prima lingua, homini & in palato. Tonsilla in homine, in suae glandulae. Quod inter eas uia nomine ultimo dependet palato, homini tantum est. Sub ea minor lingua epiglossis appellata, nulli oua generantium. Opera eius gemina, duabus interposita fistulis. Interior earum appellatur arteria, ad pulmonem atque cor pertinens. Hanc operit in epulando, ne spiritu ac uoce illac meante, si potus cibusue in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. Altera exterior appellatur sane gula, qua cibus atque potus deuoratur. Tedit haec ad stomachum, is in uentrem. Hanc per uices operit, cum spiritus tantum aut uox com meat, ne restagnatio intempestiua alui obstrepat. Ex cartilagine & carne arteria, gula neruo & carne constat. Cervix nulli, nisi quibus utraque haec. Ceteris collum quibus tantum gula. Sed quibus cervix, e multis uertebraisque orbiculatim ossibus flexilis ad circumspectum, articulorum nodis iungitur. Leoni tantum & lupo & hyena, ex singulis rectisque ossibus rigens. Cetero spinae annectitur. Spina lumbis, ossea sed tereti structura, per media foramina a cerebro medulla descendente. Eandem esse ei naturam quam cerebro colligunt, quoniam praetenui eius membrana modo incisa statim expiretur. Quibus longa crura, ijs longa et colla. Item aquaticis,

quamuis breuia crura habentibus: simili modo uncos ungues. Guttur homini tantum & suis intumescit, aquarum quae potantur plerumque uitio. Summum gulae fauces uocantur, extremum stomachus. Hoc nomine est sub arteria iam carnosam inanitas adnexa spinae ad latitudinem ac longitudinem lagenae modo fusae. Quibus fauces non sunt, ne stomachus quidem est, nec colla, nec guttur, ut piscibus, et ora uentribus iunguntur. Testudini marinae lingua nulla, nec dentes: rostri acie comminuit omnia. Postea arteria & stomachus denticulatus callo, in modum rubi ad conficiendos cibos, decrescitibus crenis quicquid appropinquat uentri. Nouissima asperitas, ut scobina fabri. Cor animalibus ceteris in medio pectore est, homini tantum infra leuam papillam, turbinato mucrone in priora eminentis. Piscibus solis ad os spectat. Hoc primum nascuntibus formari in utero tradit: deinde cerebrum, sicut tardissime oculos. Sed os primum emori, cor nouissime. Huic praecipuus calor. Palpitat certe, & quasi alterum mouetur animal, intra praemolli firmoque opertum membranae inuolucro, munitum costarum & pectoris muro, ut pariat praecipuam uitae causam & originem. Prima domicilia intra se animo & sanguini praebet, sinuoso specu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat. Ex hoc fonte duae grandes uenae in priora et terga discurrunt, sparsaeque ramorum serie, per alias minores omnibus membris uitalem sanguinem rigant. Solum hoc uiscerum uitae non maceratur, nec supplicia uitae trahit, laesumque mortem ilico affert. Ceteris corruptis, uitalitas in corde durat. Bruta existimantur animalium quibus durum riget, audacia quibus paruus est, pauida quibus praegrade. Maximum autem est pro portione muribus, lepori, asino, ceruo, pantherae, mustelis, hyenis: et omnibus timidis, aut propter metum maleficis. In Paphlagonia bina perdicibus corda. In equorum corde & bouum ossa reperiuntur interdum. Augeri id per singulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annum accedere: ab eo detrahi tantundem, & ideo non uiuere hominem ultra centesimum annum defectu cordis, Aegyptij existimant, quibus mos est cadauera asseruare medicata. Hirto corde gigni quosdam homines proditur, neque alios fortioris esse industriae, sicut Aristomenem Messenium, qui cccc. occidit Lacedaemonios. Ipse conuulneratus & captus semel per cauernam latomiarum euasit, angustos uulpium aditus secutus. Iterum captus, sopitis custodibus somno, ad ignem aduolutus lora cum corpore exussit. Tertio capto Lacedaemonij pectus dissecuere causa uidebatur, hirsutumque cor repertum est. In corde summo, pinguitudo est quaedam latis extis. Non semper autem in parte extorum habitum est. L. Posthumio Albino rege sacrorum post centesimanuicesimam tertiam olympiadem, cum rex Pyrrhus ex Italia discessisset, cor in extis aruspices inspicere coeperunt. Caesari dictatori, quo